



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Theologi Præcipvi Ecclesiæ Evangelicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

runt. Hic posteaquam in primo consistorio suo, oratione eleganti gratias Cardinalibus 26. Septemb. pro electione sua egisset, eosque, ne festum aliquod ob electionem suam celebrarent, hortatus prolixè admodum fuisset, delatus sequenti die in S. Petri templum, cum 23. Cardinalium, & multorum Ecclesiasticorum procerum comitatu, ibique adhibitis usitatis ritibus coronatus fuit: sex coronatorum millibus inter populum post acceptam benedictionem distributis.

## THEOLOGI PRÆCIPVI EC- clesiæ Evangelicæ.

**C**VM ante mille sexcentos, & triginta duos annos in lucem edi debebat Christus, Iohannem Baptistam, Domino viam vt præpararet, præambulonem Deus misit: pari ratione cum idem Christus Seruator renasciturus quasi esset, varia prius adminicula subministrari Deus voluit, quam Religionis aggredere reformationem. Inter quæ iure optimo nominantur artes liberales, & disciplinarum linguarumque assidua exercitia, tanquam instrumenta ad futuram instaurationem necessaria: Academię item, & particulares, quas vocant, Scholæ, quæ laudabili consilio, & præclaro ad imitationem exemplo protinus fundatæ fuerunt atque conservatæ: artis præterea typographicæ, antea prorsus ignotæ, adinuentio; quibus profecto  
medijs

mediis illud effectum. ut D. Lutheri libri, in varias & amplissimas dileminari nationes, plurimorum in manus peruenirent, passimque euoluerentur. Sed nec sacrarum literarum translatio hic prætereunda, qua verus quidem Testamentum, in originali lingua Hebræa per Franciscum Ximenium, eumque Toletanum Cardinalem, 1515. anno: Nouum vero mox in sequenti, optatam lucem conspexerit. Qui libri multorum aperuere oculos, & studia mirifice excitauit, ut ad diligentiam cognoscendæ cœlestis veritatis inflammati, quantum à Scripturæ puritate Papa discesserit, facile deprehenderent.

Cum vero olim mundi reformationem Christus moliretur, eam ad rem non Phariseos & Scribas, auctoritate plurimum polientes, aduocauit; sed coram mundo contemptos, abiectosque discipulos, potissimam partem piscatores, duodecim delegit. Ante centum & quindecim annos, reformationis nouæ opus aggressurus Christus, non purpuratum aliquem præfulem, neque nominis fama florentissimos adhibuit Cardinales, sed Martium Lutherum, Monachum Augustinianum; Philippum Melancthonem, Græcæ Linguae in Academia Wittebergensi professorem; & duos infimi subsellii sacrificulos, Huldricum Zvinglium, & Ioannem Oecolampadium suscitauit.

Porro, quemadmodum ab Apostolorum tempore, præstantissimos quosque viros continua prope serie excitauit Deus, Ignarium, puta, Polycarpum, Iustinum Martyrem, Clementem  
Alexan-

Alexandrinum, Athenagoram, Origenem, Cyprianum, Terrullianum, Athanasium, Epiphanium, Hilarium, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum: quorum opera cœpta ab illis reformationis tela feliciter pertexta: ita clarissimis illis in Theologia luminibus, Luthero, Philippo Melanchthoni, Zvinglio, Oecolampadio, alios doctrina pietateque conspicuos viros adiunxit, qui lampada sibi traditam acceptantes, Papatus tetris erroribus detectis, Biblicis scriptis clarius intelligentiæ intulere lumen.

In Heluetia quis nescit prodiisse, qui partim voce, partim calamo, nauiter Ecclesiæ operam impenderint? Quos inter æternam reportarunt laudem, Henricus Bullingerus, Rudolphus Gualtherus, Olwaldus Myconius, Conradus Pellicanus, Bertholdus Hallerus, Caspar Megander, Leo Iudæ, Benedictus Aretius, Iohannes Wolffius, Ludouicus Lauaterus, Iosias Simlerus, Bibliander, Gulielmus Stuckius, & alii.

In Germania Superiore maxima certe virorū egregiorum copia exstitit, vti fuere: Ambrosius Blaurerus, Iohannes Zvickius, Martinus Bucerus, Iohannes Brentius, Matthias Cellius, Wolfgangus Capito, Caspar Hedio, Andreas Osiander Halæ Sueuorum; Erhardus Snepffius, Iacobus Andreæ, & Martinus Frechthius Tubingæ: Ambrosius Moibanus, & Iohannes Hefsus Vratislaviæ: Conradus Semius Vlmæ: Wolfgangus Musculus Augustæ: Franciscus Lambertus, Andreas Hyperius, Iohannes Pincier,

T

Diony-

Dionysius Melander, in Hassia: Andreas Bodenstein, Carolostadius, Cruciger, parens & filius, Georgius Maior, Iohannes Bugenhagenus, Paulus Eberus, Iohannes Forsterus, Iohannes Auenarius, Henricus Mollerus, Fridericus Widebramus, Christophorus Pezelius, Urbanus Prierius, David Rungius, Ægidius Hunnius, Nicolaus Selneccerus, Wittebergæ & Lipsiæ: Paulus Fagius, Petrus Boquinus, Zacharias Ursinus, Calpar Olevianus, Georgius Sohnius, Daniel Tossanus, Iacobus Kimedoncius, David Pareus, Bartholomæus Piriscus, Abrahamus Scultetus, Heidelbergæ in Academia Archi-Palatina: Iohannes Piscator, Herboraæ Nassouiorum.

In Liuonia, Andreas Cnophius: in Borussia, Paulus Speratus, Iohannes Polyander, Iohannes Brismannus: In Saxonia inferiore, Urbanus Regius, Hermannus Brunus, Alberrus Hardenbergius, Martinus Chemnitius, Melchior Miricius, Nicolaus Amsdorffius, Matthias Flacius Illyricus: David Chytraeus, Rostochii. In Frisia, Micronius, Menso Altingus, Sibrandus Lubbertus, & alii.

Quem veronon singulari voluptate delectet summorum recordatio virorum, Wilhelmi Farrelli, Petri Vireti, Iohannis Caluini, Augustini Marlorati, Theodori Bezae, Antonii Sadeelis, Philippi Mornæi Plessæi, aliorum, qui in Galliis qua docendo, qua scribendo, Papæ maximum attulere damnum?

Nec defuit Deus gratia sua Hispaniæ, quæ quos doctrinæ Evangelicæ habuit Professores, eosdem

eosdem gloriosissimos vidit martyres, Franciscū Dryandrum, Diazium, fratrem Constantinum, Caroli V. Imp. Confessionarium, Antoniū Corranum. Iam ipsa Italia longe præstantissimos Theologos, Petrum Martyrem, Hieronymum Zanchium, & Immanuelem Tremellium maximo Ecclesiarum Germanicarum commodo nobis transmisit.

Tum etiam in Scotia præclare nauatæ operæ amplissimos reliquere fructus, Ioannes Knoxus, Robertus Rollocus, Andreas Melvinus, Iohannes Ionstonus.

At in Anglia Deus velut in Theatro quodam doctos viros præbuit conspiciendos, qui Evangelicam doctrinam contra Romani Antichristi præstigias fortiter defenderunt, vt fuere: Tho. Crammerus, Archiepisc. Cantuariensis, Hugo Latimerus, Ioannes Hopperus, Nicolaus Ridlaus, Ioannes Rogerius, Hugo Tilpotus, Iohannes Iuellus, Gulielmus Wittakerus, Iohannes Rainoldus, Gulielmus Perkinsus, Gulielmus Fulco, Matthias Sutliuius, & quos commemorare longum, infiniti alii.

Daniæ Regnum Evangelii præcones habuit clarissimos, Palladium, Hemmingium, Macabæum.

Sed & Hungari glorianture de Michael Starino, qui multas in ea particulares Ecclesias reformauit, iisq; verbi ministros præfecit, quibus quæ concionum fructuose instituendarum ratio, quæ item sacramentorum tuenda administratio, sua ipse manu præscripsit. Iactant se iidem

Stephano Szegedino, Paulo Thurio, Caspare Caroli, Petro Melio, Valentino Hellopeo, Matthæo Scaricæo, Thomæ Fabricio Tholneasi, & pluribus aliis.

Ac ne plures in medium producam, Polonice certe Ecclesiæ non sine grata commemoratione hodieq; commemorant, tum Generosum illum virum Ioannē à Laskavv, Comites à Gorkavv, & Dominos Osolinios, qui doctrinæ Evangelicæ vel ornamento, vel præsidio fuerunt: tum egregios Theologos, Erasmus Gliznerū, Georgium Israel, Ioannem Laurentium, Balthasarem Buchnerum, Ioannem Turnouium, alios, qui doctrinam Evangelicam fructuose populo tradiderunt.

THEOLOGI PRÆCIPVI ROMANÆ Papisticæ synagogæ.

**I**Am inde à tempore Reformationis Ecclesiarum, rem regnumq; Pontificum, summo conatu, acerrimo desiderio, nō vulgari aut mediocri doctrina defenderunt, Iohannes Eckius, Ioannes Rossensis Episcopus, alias Fischerus, Thomas Caietanus, Thomas Morus, Iohannes Faber, Iohannes Cochlæus, Ambrosius Catharinus, Albertus Pighius, qui omnes scripserunt aduersus Lutherum. Ii vero potissimum munus suum ornarūt, & reliquos fere omnes longo post se interuallo reliquerunt, qui in hac causa studiosissime iam annos aliquot versati sunt, recentes Monachi, subtiles Theologi, disputatores vehementes, ac pertimescendi, quos noua ac præteritis seculis inaudita societas Iesu, ad Ecclesiæ